DE PARTU PRAEMATURO ARTE EFFICIENDO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIII. M. APRILIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FRIDERICUS SCHELLE,

DRESDENSIS.

OPPONENTIBUS:

M. TROSCHEL, MED. DR.,

M. BOBERTAG, MED. DD.

L. KERSTEN, MED. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO,
ERUDITIONIS ARTIUMQUE AMANTISSIMO,

C. F. A SCHRICKELL,

HUNC

QUANTULUMCUNQUE LIBELLUM

SUMMA, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D,

AUCTOR.

Saeculo decimo sexto jam ab *Euchario Rhodione* [1]) partus praematurus, cum primum mortui foetus indicia comparuerunt, tam medicamentis abortivis quam pessariis impositis, et ubi ea foetum non propulerunt, instrumentis manu adhibitis peractus est. Vivente etiam embryone, cum propter nimiam pelvis maternae angustiam post suetum graviditatis finem nequaquam vivus atque omnibus partibus absolutus infantulus nasci posset, jam anno MDCCLXIX, in Britannia a *Cooper* et paulo post in Germania a *Wiedemann* partus praematurus, qui arte efficeretur, commendatus est, quo vita et infantis servaretur et matris a vulnerum saepe infligendorum, — synchondrotomiam, perforationem capitis, foetus concisionem moneo — periculis multo magis defenderetur. Exinde multiplex usus huic artificio propter felicem in genere successum jam et locum in arte obstetricia stabilivit et conciliavit gratiam; quamquam non defuerunt, qui in Gallia et Germania illud religioni parum respondere, nec laborantium inde emolumentum prodire aestimarent. Quare in posterum aucta observationum copia fore, speramus, ut hoc artificium ad perfectionem propius accedat et inter generis humani summa beneficia habeatur.

Principia usu probata, quae partum praematurum arte efficere suaserunt, haec fuisse videntur:

I. Quo tenerior et aetate minor embryo est, eo facilius pelvim angustam transit: mense septimo vel octavo post foetum conceptum ossa capitis ejus molliora etiamtum sunt, omnesque corpusculi partes sine detrimento

---

[1]) De partu hominis cap. IX. 1532.

magis comprimuntur, quam in sueto graviditatis fine solet fieri.

II. Mense septimo et octavo infantuli pelvi angustissima sponte nati vitam saepe obtinuerunt, et grandaevi facti sunt [2].

III. Mater artis auxilio praemature enixa neque partum neque puerperium pluribus et majoribus periculis circumventum sustinet, quam si in tempore foetum maturum facile parat.

De historia artificii *Reisinger* [3]) bene meruit: nam observationes, quae plurimam partem in Britannia institutae sunt, sedulo composuit, et quae ex vetustissimis temporibus res huc pertinent, addidit. Ab eo docemur, *Eucharium Rhodionem* [4]) partum praematurum mortuo embryone efficiendum commendasse saeculo decimo sexto. In libris *Aëtii* [5]), qui ex perditis scriptis *Aspasiae* cujusdam exceperit, primum aliqua de arte movendo foetu, cum mulieres parere nequeant, indicari; eundem elegisse mensem tertium, quo partum properaret, ac victu, tenui succurrisse, larga sanguinis missione, pessariis irritantibus, errhinis cet. De partu immaturo arte facto, quo et infantis et matris angustiori pelvi praeditae vita servaretur, primum *Denman* [6]) verba fecit, et nomina Dr. *Macaulay* et Dr. *Kelly* protulit: hic e. c. praeter alias occasiones uni mulieri artificio nostro ter succurrit, ita, ut bis infantis vitam tueretur. Viginti fere annis post primum Dris. *Macauly* experimentum *Roussel de Vauzelme* [7]) denuo commendavit, ct mensem septimum vel octavum ei idoneum proposuit, ac simul auctorem lau-

---

[2]) Denman Introduction to the Practice of Midwifery vol. II. London 1795. pag. 174.

[3]) Die künstliche Frühgeburt als ein wichtiges Mittel in der Entbindungskunst ꝛc. Augsburg u. Leipzig 1820. S. 12—77.

[4]) l. c.

[5]) Aëtii medici contractae ex veteribus medicinae tetrabiblos hoc est quaternio, id est libri universales quatuor etc. per Janum Cornarium medicum physicum latine conscripti Basileae 1542. Sermo decimus sextus Cap. XVIII. p. 868.

[6]) l. c. pag. 173.

[7]) Vide cap. III. commentarii de synchondrotomia: ergo sectio symphyseos ossium pubis admittenda. Paris edit. nova 1779. 8.

davit aequalem suum *Le Vocher de la Feutrie*, medicum peritissimum Parisiensem: contra eum *Le Sue* monuit, jam diu antea a *Petit* illud artificium et significatum et praeter ipsum ab aliis medicis, e. c. *Destremeau*, peractum esse 8). Germanorum primus *Wiedemann* fuit, qui initio partum vi efficiendum voluit, tum vero spontaneum arte movendum explicavit 9). Praeterea commentarii et observationes, quae huc spectant, notatu dignae hae sunt: *Mai* 10), *Johann Hull* 11), *John Barlow* 12), *Mr. Samuel Merriman jun.* 13), *Mr. Headley* 14), *Mr. E. Hardman* 15), *James Barlow* 16), *John Marschall* 17), *C. W. Bartley* 18), *James Gibbon* 19), *C. Wenzel* 20), *Reisinger* 21), *Betschler* 22).

Partus praematurus instrumentis quibusdam efficitur, quae orificium uteri aperiunt et amplificant, ovum ab

---

8) Essais historiques, literaires et critiques sur l'art des Accouchemens etc. par Mr. le Sue. à Paris 1779. a. d. F. übersetzt. Altenburg 1786. I. B. S. 284.

9) Wenzel geburtshülfliche Betrachtungen und über die künstliche Frühgeburt. 1818. S. 131. u. 169.

10) De necessitate partus quandoque praemature vel solo manuum vel instrumentorum adjutorio promovendi. 1799.

11) Observations on Mr. Simons Detection etc. with a defence of the cesaream operation etc. Manchester 1799. pag. 97. u. 449.

12) Medical Facts and Observations. Vol. VIII. London, 1800.

13) The London Medical Review and Magazine. 1800. Vol. IV. pag. 192. Medico-chirurgical Transactions. London. vol. III. 1812. p. 123. 2 edit. 8.

14) The medical and physical Journal. Vol. V., 1801. London. p. 312.

15) The medical and physic. Journ. Vol. V. 1801. Lond. p. 253.

16) The med. and physic. Journ. Vol. IX., 1803. p. 403.

17) The med. and physic. Journ. Vol. XXXII. 1814. Lond. p. 100.

18) The London medical Repository nto by G. Thomson. 1815. Vol. IV. Iuli.

19) The Lond. medic. and physic. Journ. 1817. Jannuary to April. Vol. XXXVII.

20) l. c.

21) l. c.

22) Beiträge zur Lehre über die künstliche Frühgeburt auctore Dr. Betschler medico legionario in Mende Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medizin.

utero solvunt, liquorem ejus fundunt; quo facto semper post tempus aliquod ab ipso utero identidem contracto foetus et secundinae sponte nec ulla arte amplius ministrante evolvuntur.

Opprobria vero quam plurima, cum primum illud artificium placere coepit, a medicis in Gallia et Germania compluribus ei dicta sunt: contra experimenta, quae in Britannia et postea in Germania saepe ac fausto successu facta sunt, laudem ei recuperaverunt, ac praeterea multa damna, e partu praematuro violenter effecto, — amplificationem orificii et capitis evolutionem forcipe peractam, foetus versionem mense septimo vel octavo institutam dico — oriunda nostro artificio injuria tribuebantur, et refutata sunt.

Rationes, quibus partus immaturus arte faciendus desideratur. Ante omnia ut hunc partum immaturum efficiamus, pelvis angustia admoneri debemus, cum nimirum axis ejus (ut vocant) conjugatus auctore Celebri *Klugio* pollicum duorum et dimidii spatio non minor et trium dimidiique non major apparuit; alii atque ei plerique medici axem pollicum trium vel trium et quadrantis jam non illud artis auxilium desiderare existimant. Quo igitur amplius conjugata linea terminum eum excedit, eo tutius forcipe agitur; contra ubi ea duobus et dimidio pollice minor est, nisi caput perforaveris, foetus septemmestris evolvi neutiquam potest, et solummodo Caesarea sectio restat, qua facta ejus vitam servaris. Qua re ab una parte sectioni Caesareae et ab altera forcipis applicationi ac foetus versioni affinis partus immaturus noster inprimis concisionem vivi embryonis, cerebri excidium, synchondrotomiam ex arte obstetricia exsules reddere videtur, atque tantum neglecto ad tempus partu praematuro arte efficiendo a crudelibus illis instrumentis praesidium petere cogemur. Ceterarum quoque pelvis regionum ratio, sive natura arctiores factae sive ossium tumoribus deformes sint, quae a conjugato axe petuntur consilia multifariam mutari atque temperari solent, et ubique medici est, cuncta sedulo circumspicere.

Praeter pelvis foemininae angustiam, quae praecipue a Britannis aliquibus, sectionis Caesareae adversariis, supra modum intempestivi etiam abortus conditio habebatur, aliae rationes, quibus partus praematurus arte

peragendus esset, et propositae sunt, et ut facerent auctores moverunt.

Mai[23]) foetus in utero maturam mortem huc pertinere arbitratur: nam veritus, ne mater embryone de qualibet causa inter graviditatem defuncto in vitae discrimen praecipitetur, septemmestrem foetum, vel etiam si ulterius relictus sit, doloribus prorsus deficientibus, vi atque arte proturbare jubet. Medicorum de hoc consilio sententiae adhuc discrepant, itaque inter artis praecepta jam non cooptatum est. Quamvis ipsa natura plerumque ejusmodi auxilium non aversari videatur, cum foetus mortuus ad intempestivas contractiones ut ipsum emittat uterum incitare soleat, tamen contrarium ei est, quod mense septimo vel octavo mortis indicia, praesertim integris involucris, etiamsi liquores profluxerint, nunquam certissima sunt, neque violenti operis committendi potestatem concedunt.

Tum idem pericula huc referenda putat, quae graviditate supra modum prorogata propter nimium infantis incrementum et ipsum et matrem inter partum circumveniunt. *Osiander* etiam legem statuit, ut graviditate immodice prolata partus arte moveatur, licet aliis rebus convictus, quam *Mai*; nam sibi persuasum habet, serotina embrya quam rarissime omnibus numeris valde exculta esse, verum cessante partu ea marcescere, hydrope corripi, denique exstingui. Utrique huic a *Mai* et *Osiander* laudato consilio scrupulus inde injicitur, quod graviditatem longius, quam fas est, productam certo cognoscere difficile est; porro interdum temeritatis opprobrium, si partum excitares, vix evitare posses, cum serotini infantes non raro debiles, adeo mortui offendantur, et vel ipsius matris in partu sero veniente valetudo saepe admodum affligatur; itaque consilium matris et infantis una servandorum saepe secius caderet. —

In Britannia [24]) praegnantium morbi conditiones partus immaturi artificiosi habebantur, inprimis vero, si ultimi graviditatis menses insigni corporis infirmitate viriumque defectione turbarentur, neque morbi durante graviditate sanari posse viderentur. Partus arte efficiendus poscebatur, si acerbi, praegnantium interdum pecu-

---

[23]) l. c.

[24]) Medico-chirurgical Transactions Vol. III. p. 139.

liares morbi, uti vomitus, qui in septimum mensem usque perseveraret, vitae matris et infantis minitarentur. Veruntamen cum usus ostendit, partum praematurum spontaneum in morbis gravibus et acutis vitae periculum egregie augere, arte eum ciere, in ejusmodi occasionibus gravidis vel plus detrimenti afferret; quin etiam infantium saluti, si usque eo auxilium propagatur, non bene consultum esse videtur, quod jam ubi propter pelvis angustiam opus illud factum est, ut graviora pericula arcerentur, tamen major infantium numerus mortuus est; quare si alio quoque consilio verisimillime infantis vita servatur, naturam cogere, ut partum emittat, contra jus fasque est.

Alia indicatio, ut vocatur, a *Denman* [25]) proposita est: jussit partum ciere, si mulieres, quae nullo negotio et concepissent et prope ad finem usque debitum uterum gessissent, deinde subito ac sine perspecta causa ab iteratis horroribus corriperentur, quo facto embrya cito emori, etiamsi post hebdomades aliquas demum evolverentur. Neque minus hac indicatione methodus, de qua dissero, supra rectum terminum propagata esse videtur; nam nullo pacto licet statuere, neglecto illo artis praesidio foetum certo moriturum, neque graviditatem ad rectum finem venturam fuisse; perdifficile esset, de vita vel morte illius certiorem fieri, sed difficilius operis peragendi tempus idoneum statuere, neve maturior, quam par est, neve serior partus fiat. Praeterea autem mulieris ab istis horroribus vexatae valetudo jam magis profligata esse videtur, quam quae labores eos arte factos sustineat.

Puzos [26]) partum praematurum propter modica sanguinis ex utero profluvia efficiendum censuit, quo partui violenter peracto contradiceret, et ipse methodum fausto eventu prosecutus est. *Baudelocque* [27]) in rapidis tantum metrorrhagiis inde praesidium petendum putat, ut vitae pericula arceantur; at partum vi ciere tum satius foret, nam artificio nostro, cum initium atque pro-

[25]) l. c. pag. 180.

[26]) Traité des Accouchemens etc. à Paris, 1759. 4. p. 323.

[27]) L'art des accouchemens T. 2. 5me edit. §. 2012.

gressus dolorum tarde induceret, contra perniciem ab assidua et larga haemorrhagia oriundam matris et embryonis vita parum defenderentur.

Sanguis ubi paululum scaturit nec placenta ipsum orificium obtinet et modica ejus ab utero solutio morbum efficit, consilium a *Puzos* propositum probabile, tamen animus advertendus esset, ne capite in orificio dense adstricto sanguis intus proflueret; sin autem inter leniter agendum haemorrhagiae pericula augerentur, etiamtum partum vi ciere superesset, et orificio jam aperto atque molli aliis artis insuper advocatis instrumentis, matris salus recuperaretur.

Praeterea denique partus immaturi arte efficiendi indicatio uteri gravidi reclinatio habetur. *Lyne* et *W. Hunter* in neglecta reclinatione uteri in pelvim coarctati, qui suetis ac mitioribus instrumentis evolvi neutiquam posset, liquorum emittendorum consilium dederunt, dum per posteriorem vaginae parietem fundum uteri terebello acuminato (troicart) aperuerunt. Observationes aliquot utilitatem hujus methodi probaverunt, sed cum tertio vel quarto jam mense fieri graviditatis, ac foetum ideo immolari opus sit, ac praeterea matri ea etiam perniciosa esse possit, nam plurimam partem occasionum uterus inflammatus est, cetera omnia artis praesidia prius afferri debent, quae graviditatem non tam certo atque vehementer intercipiunt.

Jam vero variorum, quae notavi, consiliorum, quibus partus praemature ciendus desideratur, plurima partim nihil nisi proposita sunt, quae usus etiamnunc non plane probavit, partim matris atque infantis vitam parum tuita sunt, tametsi semper medici sit, utriusque salutem conservare. Itaque ab angustia pelvis petita indicatio sola praestantiae laudem meretur: quamvis enim si summam spectas, major infantium numerus partim inter nascendum partim non multo post, mortuus sit, tamen artificium, illa conditione peragendum propterea probatur, quod aliorum locum obtineat, quae foetui multo infensiora vel adeo letalia esse soleant, et matri fere non leviora discrimina minitentur.

Priusquam opus ipsum consideratur, praecipuas atque inprimis necessarias, quae huc pertinent, incommodorum cautiones perstringere liceat; copiosissime

ac praestantissime eas in libris laudatis expositas invenis [28]).

I. Maxime necessarium est, medicus liberum gravidae consensum, quo partum cieat, sibi comparet, quod hujus valetudo cum infantis ambigua salute tantummodo concurrat. Quamdiu ergo instantium laborum periculorumque perspicue monstrata imagine non permota tamen ea vincenda esse putat, tamdiu ejusmodi auxilium ei inculcari non potest, nam valetudinis ipsa suae, corporis, vitae domina est, et solo materno nomine atque officio eo duci potest.

II. Nunquam ubi de partu immature ciendo agitur, cursu priorum partuum aliorumque hominum narrationibus, vel si idem opus jam antea prospero successu peractum sit, medicus niti debet; haec insuper prosunt, sed consilium semper a propria, acurata, iterata, ipsius manu atque instrumentorum ope (praecipuam *Klugii* polykometron laudem meretur [29])) facta partium pelvis exploratione capiendum est.

III. Et medici gloriolae et mulieris saluti optime consuliter, si ille (qui artem videlicet in publico exercet) nunquam solus opus conficit, sed semper coram collega advocato faciendi necessitatem declarat: communi ea consideratione et exploratione ossium intervalla, quae difficulter metiris, multo certius cognoscuntur, pericula ex errore orta vitantur, infausto eventu medici fama minus laeditur, abusus quilibet avertitur.

IV. Ubi accuratissima exploratione caput non aperte projectum, verum embryo enormiter positus offenditur, operatio differatur, quantum per angustiam pelvis liceat, donec ejus positio a secunda fortuna commutetur; nam usus ostendit, saepe brevi tempore, ac favente liquore amnii circa septimum vel octavum mensem magna copia praesente, foetum mobiliorem factum et in loco commodiori caput ejus collocatum esse, praeserlim cum matris idonea cubatione hoc probius effici possit. Neque minori cum fructu, si geminos ferri innotesceret,

---

[28]) Medico-chirurgical Transactions Vol. III. p. 142. A Synopsis of the various Kinds of difficult parturition etc. p. 193. Reisinger l. c. Betschler l. c.

[29]) Rust Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. XVII. Hft. 3. S. 466.

operis tempus propius ad suetum graviditatis finem prorogandum esset.

V. Quod ad graviditatis tempus, quo partu arte efficiendo embryo salvus edatur, attinet, id e sententia plerorumque medicorum non prius quam initio octavi mensis (lunaris), neque serius quam tres hebdomades ante finitum mensem decimum destinandum est: interea temporis varius delectus a varia ossium coarctatione dependet. *Klugius* tempus in mensis octavi initio ponit, idque ad finem hebdomadis tricesimae octavae protendit, et quidem de causis sequentibus.

a) Quia methodo, qua ad ciendum partum utitur (orificii amplificatione sine involucrorum ruptura) dolores nunquam diu procrastinantur, neque casu quolibet, uti fit cum involucra rumpuntur, modo properantur, modo prohibentur.

b) Quia idem peculiari praeparatione, quam infra fusius explicaturus sum, infantilis corporis cultum, quin viribus noceat, cohibet atque retardat.

c) Quia axem conjugatum pollicum trium et dimidii artificii conditionem habet, cum plurimi medici tres pollices et quadrantem ultimum terminum ejus esse existiment.

Tempus operis faciendi in singulis occasionibus angustiarum rationibus et quantum conjectare licet capitis magnitudini, ejusque mollitiei, quoad comprimi possit, respondet; at semper notetur, hoc tempus quam proxime ad nativum graviditatis exitum proferendum esse, quo magis servatum iri infantem verisimile fiat. Quapropter etiamtum forcipis usus ne supervacuus aestimetur, nam capite inter partum diutius retento in evolvendum maxime prosit: itemque versio aliquando vitari non possit.

VI. Quam maxime animus advertatur necesse est ad graviditatis fastos recte aestimandos, quod inter principales partus praematuri arte efficiendi difficultates est: nam praeter id, quod indicia huc spectantia ipsa fallacia sunt, mulieres pelvi enormi praeditae omnibus corporis partibus depravatis saepe laborant, nec raro fundus uteri jam septimo mense cordis scrobiculum implet, nec infantis pars prominens probe cognosci potest; accedit, quod mulieres de plebe ad naturae suae mutationes parum animum advertunt, ideoque conceptionis, menstru-

orum, primorum in utero motuum tempora distincte adnotare nequeunt. Itaque eo acutius atque accuratius medicus signorum summam circumspiciat opus est.

VII. Omnibus rebus sedulo perpensis, ubi operis faciendi tempus destinatum est, ulterius proferri non debet, nisi gravida morbis intercidentibus laborat, qui illud impedire possint; chronicos morbos atque insanabiles medicus interea aliquid placare conetur.

Incrementi quo foetus sensim augetur coërcendi ratio, quae, ut corpusculi amplitudine prohibita major aetate vitaeque capacior ille ossium angustias transeat, instituitur, a plurimis scriptoribus non modo quasi inutilis, sed etiam nocua, rejicitur. Hanc rationem victu tenui, vegetabili (ut vocant), corporis motu, iteratis sanguinis missionibus et remediis laxantibus prosequimur. Observationes, quas adversarii proponunt, hae sunt:

I. Mulieres debiles, aegrotantes saepe maximos, contra matres bene alitas atque sanas foetus edere parvos, imbecillos: itaque in illis vitam uteri cum dispendio totius corporis praecipue excoli, — sed hoc in aliis quoque corporis partibus interdum morbo affectis, videri potest, ita, ut utero soli temere ejusmodi natura imputetur.

II. Uterum aliqua a reliqui corporis vinculis immunitate frui, foetumque tamquam sua sponte excolere, — at vitae pabulum aliunde eum capere credo, si reliquum corpus afferre desiit!

III. Rusticas mulieres et pauperes, quae herbis tantum vescantur, validos infantes parere — sid nihilosecius eaedem secunda valetudine frui possunt; accedit autem quod plebis opinio, quia duo sint alendi, plerumque foeminas immodicas in edendo bibendoque reddit, itaque herbis etiamtum mater et embryo bene nutriuntur.

IV. Denique rudis et immodicae mulierum debilitationis, quae a medico non temperata sit, exempla ab adversariis recitantur.

Has controversias *Reisinger* [30]) experientia etiam auget, nota nimirum illa occasione, quam *Osiander* narravit [31]). Hydrocephalus ibi notatus ex usu quotidiano potionis

---

30) l. c. §. 95 — 98.

31) Handbuch der Entbindungskunst II. 2. Tübingen 1821. S. 479 — 488.

Lehnhardtianae, e remediis laxantibus confectae, ac diaeta enervante oriundus habetur: verum sequentia argumenta huic sententiae jure opposita sunt: Primum quod caput adeo amplum fuisse non possit, quia foetus decem mensium per axem conjugatum trium pollicum forcipis tribus tractibus evolutus sit. Deinde quod post hoc-ergo propter hoc factum esse sententia documentis egeat. Quod denique in ea occasione ratio debilitandi supra morem modumque peracta sit, neque ideo similis, verum probe a medico instituta contrectari possit.

Veruntamen repellendis his argumentis contrariis experientia, in arte nostra vera judex, omnino momentum facere potest, et pleraque experimenta in hac re facta faustis eventibus demonstrant, modicam atque recte institutam ejusdem praeparationem nulla damna afferre, cum quisque probus medicus ad mulieris constitutionem, valetudinem universam, vitae rationem, ciborum potionumque idoneum delectum animum suum adverterit. Permagni momenti et notatu dignissima sunt, quae *Brüningshausen* [32]) provulgavit: idem graviditatis quidem in pelvis nimia angustia exitum natura statutum exspectare jubet, matrem vero victu tenui et qui infantis ossium cultum coërceat, medicamentis, sanguinis missione ita debilitare, ut eo nutritus minuatur, ac partus expeditior fiat. Eodem monente nemo nisi medicus illa conficiat. Promptissime atque evidentissime utilitatem hujus methodi plurima in nosocomio caritatis Berolinensi facta experimenta illustraverunt; jam anno MDCCCXV compluries per annos priores obviam facta cerebri evellendi et inter innumeras difficultates forcipis applicandi necessitas consilium adduxit foetus arte quominus crescat impediendi. Propterea peracta ejusmodi gravi operatione quaeque mulier, si in postero praegnans facta sit, jam in medio graviditatis tempore institutum adeat, jussa est. Prosperi inde eventus, cum illis cura supra monita consultum esset, postea *Klugium*, qui instituto praeest, moverunt, similem etiam partus praemature ciendi praeparationem efficere, et quidem sequenti ratione prosecutus est: Mulier praegnans a primis motibus in utero perceptis quam saepissime corpus modice agitet, somno parum indulgeat (circiter septem horas de die),

---

32) Reichsanzeiger 1804. Nr. 129.

cibis vescatur summa continentia, quaque hebdomade ter quaterve mite remedium purgans sumat, quo semper ter vel quater alvus cieatur. Medicamenta, quibus id perficiatur, accurate eligenda sunt; mercurius dulcis omittatur, nam vehementius foetus vegetationem corrumpit, abortum facile efficit, adeo embryonem necare potest: quare gravidis syphilide effectis alia e mercurio praeparata remedia multo magis conducunt, e. c. mercurius sublimatus corrosivus, cui illa perniciosa vis non inesse videtur; medicamina, quibus *Klugius* in instituto uti consuevit, sunt magnesia sulphurica vel natrum sulphuricum. Pro gravidarum varia constitutione rerumque varia conditione haec curandi ratio temperanda est, ac vix notato opus est, in morbis praegnantium et virium dejectione methodum adhiberi plane non posse, cum plerumque foetus sponte marcescat.

Partus praematuri arte efficiendi rationes. Rationes nobis considerandae sunt duae, prima cum partus praematurus involucrorum ruptura arte facta, altera cum sola orificii amplificatione efficitur. Inter opus faciendum ex sententia Britannorum parturiens foemina eodem modo cubare debet, atque inter partum quemque solet, nimirum in lecto atque in corporis latere sinistro. Majore jure *Reisinger* [33]) situm transversum in lecti margine vel in sella alioquin parturientibus addicta abdomine simul elato laudat; nam tum orificium uteri, pars prominens embryonis, involucra ad digitum explorantem magis appropinquantur. Et ipse *Klugius* parturientem in sella supinam, cruribus divaricatis et dorso multum reclinato ponere jubet. Verum ubi ea ratione portio vaginalis uteri vel antrorsum vel retrorsum vel ad latus conversa attingi non potest, idem mulierem in lecto pronam, genibus, pectori, capitique innixam collocat, et a tergo in vaginam digitos immittit; eo modo uterus pondere ductus in cordis scrobiculum delabitur, et portio ejus vaginalis in media vagina ponitur, ad eamque expeditior aditus patet. Ut in omnibus operibus ad opem parturientibus ferendam institutis, hic etiam intestina atque vesicam urinariam antea evacuari necesse est: praeterea plerique medici in balneis tepidis

---

33) l. c. §. 60.

tepidis partes genitales antea imponere jubent, ut maturo partui idoneae fiant. A multis etiam alia praeparatio simulandi causa callide adhibetur, cujus auctor est *Joh. Barlow*: nam priusquam involucra rumpuntur mixturam propinant, e qua salutem se bibere parturientes existiment. Hanc simulationem *Reisinger* [34]) inprimis plebi convenire arbitratur; innocenti enim medicamine antequam involucra rumpantur dato, animum imperitorum a manuum munere averti; et cum omnia medicamentum fecisse putarent, deplorabilem saepe abusum artificii prohiberi. Secundum primam operis faciundi rationem involucra, quin gravidae dolor gravis excitetur vel secius ipsa laedatur, lege artis rumpuntur. In universum rumpendis involucris arctum instrumentum inservit, quod per os uteri inmittitur: plerumque id pro pelvis structura curvatum est, videlicet minus inflexum quam catheter virilis (ut appellatur), sed magis quam muliebris, et in tubulo ante aperto absconditum. Britanni cathetere argenteo virili usi sunt, verum *Headly* [35]) adeo curvatum reprehendit: *Clarke* [36]) angustum et secundum viam, qua per pelvim ad collum uteri venitur, inflexum catheterem laudat. Tamen *Merriman*, *Headly*, *Wenzel* maximas saepe difficultates in rumpendis obtuso cathetere involucris offenderunt; itaque alii medici praeter Britannos eo non amplius usi sunt, et acutum instrumentum receperunt. *Mai* [37]) cultrum inflexum, elasticum, testa vestitum, vel etiam acum probavit; *Marshall* [38]) specillum longum, firmum commendavit, quod ab aliis acutius redditum est. *Haighton* mucrone (stilet) catheteris muliebris usus est, qui vero firmior et acutior esset, quam solet. Alii [39]) specillum cuspidatum per catheterem immittere jusserunt, nisi hic solus sufficeret: resecuerunt igitur (Dr. *Ley*) acumen catheteris elastici, involucra acuto filo ferreo, quod ille continuit, aperue-

---

34) l. c. §. 53.

35) The medical and physical Journal. Vol. V. 1801. London. pag. 312.

36) Eodem l. Vol. III. 1800. Lond. pag. 47.

37) l. c.

38) The medical and physical Journ. Vol. XXXII. 1814. London pag. 101.

39) The London med. Review and Magazine. 1800. Vol. III. p. 379.

runt, indeque retracto filo liquor profluxit. „*Wenzel*[40]) huic instrumentum simile invenit ac descripsit. Est vero instrumentum acus triquetra longa incurvata, crassitie pennae corvinae. Illustr. *de Siebold* hoc in eum modum mutare studuit, ut specilli magis formam exhiberet, capitulo parvo in fine instructi, huic primo immittatur specillum ejusdem longitudinis, aperturam claudens, ac si ita instrumenti vagina per os uteri intravit, immittitur hoc remoto acus triquetra. Immittitur tubulus specilliformis, dirigentibus digitis sinistrae vel dextrae manus duobus, per os uteri externum et internum tum amoto specillo, mucro tubulo insertur, cujus apice paululum promoto tunicae perforantur, ita, ut aquae per tubulum prorumpant.“ *Reisinger* [41]) catheterem argenteum, flexilem, cuspide leniter acclivi praeditum instrumentum utilissimum habet, quo ovum aperiatur, idem videlicet, quo inprimis Galli arctissimas urethrae angustias penetrant. Veruntamen si acuto instrumento opus est, mucro ne ultra duodecimam pollicis partem e tubulo progrediatur, dum ejusdem manubrium parti inferiori tubuli apprimatur, quo magis laesionis discrimina vitentur: ipsum manubrium annuli forma confectum sit, in modum instrumenti a Fried inventi, aut in modum pharyngotomi. „*Ritgen* [42]) invenit instrumentum ita constructum: Tubus argenteus leniter curvatus tres lineas, antrorsum tantum lineas duas et dimidiam crassus, apice infossam tres lineas profundam impressus, continet in media hac fossa aperturam unam lineam amplam, per quam apex chalybeus lineae tertiam partem crassus usque ad duas lineas supra tubi finem promoveri potest. Tubus est undecim pollices longus. In cavo ejus versatur filum argenteum ab altera parte in apicem chalybeum, ab altera in pistillum hermetice occlusum transiens. In hoc est manubrium planum, pistillum impediens,

---

40) Wenzel's allgemeine geburtshülfliche Betrachtungen und über die künstliche Frühgeburt. Mainz. 1818. — Vide dissertationem inaug. anni MDCCCXXIV. de partu arte praematuro auctore Kelsch. Berolini, unde descriptio sequens instrumenti Sieboldiani desumpta est.

41) l. c. §. 59.

42) Anzeigen der mechanischen Hülfen rc. S. 436. — Preller dissertatio inauguralis medica de partu praematuro arte effecto. p. 37. Halae 1822.

quo minus profundius intret, quam apex chalybeus filei argentei progredi potest; duas lineas a manubrio tubi duo alii canaliculi argentei cochlea firmari possunt. Canaliculus a convexa parte tubuli exiens, dimidium pollicem longus, finitur in vasculum ovale, vitreum, unciam dimidiam recipiens, pro liquore amnii defluente. Canaliculus illi oppositus circiter unum pollicem et quod excurrit longus, insuper apertus ac planus, ad suctionem *)." *Ritgen* quidem non eo, sed et *Wenzelii* instrumento et specillo sagittiformi quod Cosmus ad Lithotomiam supra symphysin perficiendam commendavit, usus est. *Niemeyer* autem, teste *Preller*, [43]) eo operationem bene exsecutus est.

Difficile tamen saepius esse instrumentum quodvis in os uteri inducere, si id, uti in primiparis, clausum adhuc est, facile quisquis videt. Hac ratione *Brünninghausen*, Illustr. *de Siebold* conditionem tulit: nonne spongia pressa os uteri antea dilatari modo quodam possit mitiori, ita, ut tubulus facilius intret. — Ab Illustr. *de Siebold* spongia pressa et sperato quidem cum eventu adhibita est."

Postquam igitur mulier idonea ratione posita est, ad perforanda involucra instrumento a *Wenzel* invento et a *Siebold* mutato, cujus utilitatem *Kelsch* [44]) explicavit, optime utaris. Medicus tum inter crura parturientis stet, dextrae manus indicem ad uteri os et collum ducat, et huic imposito instrumento involucra ovi rumpat (instrumentum acu obscondita immittatur, ac tum demum ea protendatur, cum tubulum uteri cavernam intrasse indice digito cognitum sit). Sequentes regulae, jam a *Reisinger* [45]) explicatae, medicum cautionem humanitatemque doceant, quibus in perficiendo hoc opere opus sit. I. Plerumque acuto instrumento non prius agendum est, quam involucra ad marginem oris accurate tactu percepta sunt; sed fere semper percipi non possunt, nisi antea os amplificatum est; nam saepissime ne digitus quidem per os uteri externum immitti potest. II. Medicus animum intendat, quominus mulier

---

*) Ita Kelsch pergit l. c.

43) l. c.

44) l. c.

45) l. c. §. 63.

dolorem sentiat, nam cuspis recta via involucra petere, neque unquam uterum tangere debet, quare certum bene impositae signum est, si illa dolore eget. III. Peritissime medicus instrumento acuto agat necesse est, ne foetum laedat, cum interdum ejus aliqua pars per involucra jam tangi possit. IV. Simul ratio habenda est, quod aliquando inter ipsas tunicas magna liquoris copia (liquor spurius) collecta est, ut tunica amnion certo perforetur. De loco, ubi pungatur, medici dissentiunt, enimvero lenta vel cita liquoris profusio inde dependet. Alii locum perforare jubent, qui in ipso ore positus est, ut ita per tubulum liquor fundi possit, et partus properetur, nec mora infantis vitae noceat [46]). Alii latus aperiunt, dum cuspidem uteri interna facie leniter pressa aliquantulum evehunt, atque instrumento in involucra modice insinuato, liquorem per foramen parvum non subito emittunt, ne uterus celerius contrahatur, vitaque infantis in summum discrimen ruat [47]). *Wenzel* ovum in medio supra os uteri aperit, celere autem liquoris profluvium eo impedire studet, quod tubulum extemplo retrahat. *Hopkin* [48]) ut liquor paullatim profundatur, catheterem octo pollicis inter faciem internam uteri et ovum immittere commendat; tum vero hoc difficillime peragitur, tum si placenta laudatur, sanguinis profluvium metuendum est.

Recentior a *Klugio* altera ratio partus praematuri amplificando orificio, quin involucra rumpantur, efficiendi promulgata est; huic similis methodus est, quam *Merriman* [49]) et *Hamilton* [50]) descripserunt; uterque ore jam aperto, ille duobus hic uno digito matricem intrat, et quam maxime potest involucra ab ejus pariete solvit. *Merriman* semel hanc rationem prosecutus partum quidem integris involucris promovit, sed foetus, quod falso positus erat, mortuus editus est. *Klugius* duo experimenta hujusmodi instituit, sed unum tantum bene successit, in altero dolores defecerunt. Praeter id,

---

46) J. Clarke l. c.

47) The London Practice of Midwifery und Haightons Vorlesungen.

48) Accoucheurs Vade mecum p. 114.

49) Reisinger l. c. §. 69.

50) Mende's Beobachtungen l. c. pag. 42.

quod securitatem non praebeat, contraria ei methodo sunt, primum quod tempore, quo partus arte cieri solet, (mense vjj vel vjjj) orificium raro usque eo apertum est, ut digitus immitti possit; tum quod eo tempore orificium tam altum in pelvi latet, ut difficillime contingas. Quo igitur simul orificium aperiatur, ovum ab utero solvatur, inferior uteri pars assidue ac leniter incitetur, *Klugius* spongia cerata usus est. Haec ejus ratio agendi est: postquam portio vaginalis uteri sinistrae manus indice in loco affixa est, nisi orificium sponte latissime patet, spongia cerata, conica, duos vel tres pollices longa, lineas duas vel tres lata, simplici unguento illita, in parte posteriori instructa filo, ope instrumenti forcipi similis per os ad latus inter tunicas foetum involventes ac cervicem uteri in altum evehitur; tum remoto instrumento spongia digito usque eo protenditur, ut finem ejus labia orificii amplectantur. Eadem deinde ab alia in vagina posita spongia vulgari, humida, vinculis praedita, quae ovi anserini magnitudinem adaequat, retinetur. Haec altera spongia eodem instrumento atque prior immittitur, vincula dependentia emplastro adhaesivo in abdomen affiguntur, et inde mulier in tergo quiescendi causa ponitur. Quodsi post horas viginti quatuor dolores nondum advenerunt, spongiae illae removentur, et amplior spongia cerata longitudinis pollicum quatuor ad quinque et pro rerum conditione latitudinis sex ad novem linearum de integro secundum legem modo explicatam imponitur, ac tum certus effectus est. Plerisque in occasionibus jam sex post horas dolores advenerunt, adeo interdum spongiae ab eis e vagina propulsae sunt, et involucra ad rumpendum prompta prodierunt. Ubi os uteri jam late patet, amplior tantum conus adhibendus est. Deinde partus, nisi peculiaria impedimenta forcipis usum appellant, naturae committitur, et ab ipsa plerumque nullo artis negotio perficitur.

Instrumentum a *Klugio* inventum, quo spongia deducitur [51]), forcipi simile est ei, quo polypodes e faucibus et oesophago evelli solent: novem pollices longum est, pelvis curvaturam aequat, claustro instructum

51) Mende's Beobachtungen ꝛc. l. c. pag. 45. M. s. d. Abb. Taf. I.

est eodem atque forceps lapidarius *Lewkowicz*; extrema lamina ejus apertura quaeque trium linearum denticulata praedita est, ut spongia tutius comprehendi possit. Quod cum in promptu medicus non habet, etiam orificii amplificatore, quem *Osiander* invenit, utatur.

De hac *Klugii* ratione agendi usus et experimenta etiamnunc tam felici successu facta plurima (casum unicum excipias, quo etiam instrumentum Sieboldianum ad partum ciendum nihil profuit) ostenderunt, eam simplicitate ac fide necessaria non carere, neque dolorem neque periculum afferre, itaque cito, tuto, jucunde curandi consilio satisfacere. Prius ab altera methodo ortum certamen, subitone an pedetentim liquor profundendus sit, plane deletum esse censeo, cum ejus profluvium doloribus demum excitatis fiat, uti nativo partu soleat; deinde nostra ratione ipse partus expeditior fit, nec fomentis, injectionibus opus est; inprimis vero embryo inde summum emolumentum acquirit.

In instituto parturientibus addicto nosocomii Berolinensis ab anno MDCCCXXI ad VI usque partus praematurus decies quinquies arte peractus est, et quidem quinquies rumpendis usitata ratione involucris, semel secundum praecepta *Hamiltonii*, i. e. sola ovi inmisso digito solutione, novies secundum *Klugii* methodum, i. e. orificii amplificatione ovique solutione et cervicis incitatione per spongiam ceratam impositam effecta. Ab anno MDCCCXXI ad IV usque in instituto eo peracti partus immaturi duodecim copiose a Dr. *Betschler* [52]) illustrati sunt: propterea novissimas anno MDCCCXXVI factas observationes tres brevibus adumbrare mihi liceat.

I. *Ch. R*....., ancilla XXVI. annorum, primo uterum gerens, brevi corpore, habitu scrophuloso, constitutione debili, temperamento phlegmatico, praeter tabis scrophulosae symptomata puellari aetate variolis, morbillis, scarlatina affecta fuerat. Aetatis anno decimo sexto menstrua cum solitis molestiis accesserunt, et posthac perturbato ordine et admodum parca fluxerunt, Majo mense in finem vergente anni MDCCCXXV. plane defecerunt. Ante annum et dimidium, priusquam nosocomium adiit, convulsionibus pectoris laboravit. Recepta est in institutum die XV. m. Januarii anni

[52]) l. c. pag. 36.

MDCCCXXVI. cum pelvis explorata est, conjugatus axis (polycometro *Klugii* quem mensi sunt) trium pollicum et dimidii, pelvis summae ad columnam vertebrarum inclinatio graduum circuli quinquaginta, intervallum inter cristas iliacas extremum decem pollicum, inter trochanteres majores undecim et dimidii, inter symphysin ossium pubis et spinam vertebrae infimae sex pollicum et linearum novem erat. Quibus rebus ita observatis, ut infantis vita servaretur et mater a graviori operatione defenderetur, praeparatio ad partum praematurum efficiendum secundum *Klugii* praecepta instituta est, et die VI. m. Febr. hora nona et dimidia matutina spongiae in modum supra descriptum impositae sunt: hora undecima et dimidia meridiana primi dolores percepti, hora quinta vespertina jam aucti sunt et per noctem satis fortes perseveraverunt. D. VII Febr. hora IX. matutina spongiae manu remotae sunt, et involucra per orificium novem lineas apertum prodierunt: tum vero partus tarde progressus est, ita, ut hora decima vespertina involucra sponte rumperentur; orificium interea paullulum modo amplius factum est, et d. VIII demum hora sexta matutina partus peractus et graviditatis hebdomade XXXVII. puer novemmestris vivus nullo alio artis negotio editus est. Conceptionis tempus ex fastis graviditatis in d. IV m. Maji anni prioris statutum est; motum in utero mulier cum recepta est nondum senserat. Puer quamvis vivendi facultate praeditus, tamen plane excultus non erat: cutis rubra, muco lanugineque tecta, ungues molles, capilli rari, fonticuli aperti, aurium cartilagines completi, pupilla aperta erat; pondus quinque et dimidiae librarum, longitudo XVII pollicum, diametri capitis diagonalis quinque, longitudinalis quatuor et quadrantis, transversalis trium, perpendicularis trium et quadrantis, diametri inter humeros quatuor et quadrantis, inter femora trium pollicum erant. Positio embryonis prima occipitalis, funiculus umbilicalis in centro positus, circumvolutus, leviter pulsans, liquoris amnii magna copia et natura bona fuerat.

Altero die post partum, quod sane dolendum fuit, puer ob vivendi impotentiam mortuus est. Matris valetudo, frebicula lactea excepta, primo die secunda fuit, sed insequenti apertissima indicia febris puerperalis tum maxime grassantis comparuerunt, et puerpera, quamvis

omnia remedia omnisque cura adhiberentur, quae est morbi malitia, mortua est.

II. *Ch. W* . . . . ancilla XXVIII annos nata, corpore mediocri, habitu scrophuloso, constitutione infirma, temperamento phlegmatico, si vulgaria infantium mala et variolas excipis, morbo nullo graviori unquam laboravit. Menstrua anno aetatis XVIII advenerunt. Ante duos annos primum in instituto eo partu immaturo arte effecto infantem vivum satis excultum enixa erat, postquam annis antea quatuor forcipe adjuvante mortuum foetum ediderat. Axis conjugatus IV pollicum, pelvis summae inclinatio XLVII graduum, intervallum extremum inter cristas iliacas decem, inter trochanteres undecim, inter symphysin ossium pubis et vertebram infimam pollicum septem et quadrantis erat. Tertium praegnans die XXVI m. Jan. a. MDCCCXXVI institutum adiit: ipsa annuente conceptionis tempus circa exitum m. Maji anni prioris statutum est, et exinde etiam menstrua cesserant; primos in utero motus initio m. Oct. perceperat. Cum primum recepta est, statim praeparatio instituta, et die VI Febr., hebdomade graviditatis XXXVII hora matutina nona et dimidia spongiae impositae sunt; circa vesperem dolores moveri coeperunt, sed rursus desierunt. Quare die VII mane remotis spongiis uteri orificium ad pollicis spatium hiavit, verum doloribus deficientibus involucra tenta non fuerunt; itaque postquam amplius a natura aperturum iri orificium per diem totum unamque noctem frustra exspectatum est, die octavo Febr. hora undecima et didimidia meridiana duae spongiae de integro impositae sunt, quibus hora quarta postmeridiana remotis et orificio fere duplo magis aperto, partus effectus est, nam circa horam nonam vespertinam vivus puer, circiter aetatis suae mensi X, natus est. Positio embryonis prima occipitalis, placenta in latere dextro collocata, funiculus circumvolutus, pulsatio ejus debilis, verum diuturna, liquoris eximia copia, natura proba fuerat: pondus pueri VI librarum, longitudo XVII pollicum, capitis diametri diagonalis IV pollic. IX linear., longitudinalis IV poll. et quadrantis, transversalis III, perpendicularis III et quadrantis, inter humeros diametrus IV poll. IX linear., inter femora trium poll. et quadrantis erant. Cutis rubicunda, multa lanugine tecta, ungues molles, capilli

capilli nigri, fonticuli aperti, aurium cartilagines sueto molliores, pupilla aperta erat. Puer quamvis vivendi potens imbecillior erat, et omne nutrimentum recusabat, itaque d. x. Febr. mortuus est, Matris valetudo secunda erat; lac remediis purgantibus derivatum est, et die XXVIII. Febr. puerpera sana ac viribus confirmata domum abiit.

III. *H. B . . . .*, ancilla XXII. annos nata, primum praegnans, temperamenti sanguinei, corpore quadrato, constitutione satis valida ad XX. usque aetatis annum valetudine secundissima degit, tum propter amenorrhoeam artis auxilium petivit, et valetudinem recuperavit: Menstrua enim nullo negotio XVI. aetatis anno advenerunt. Recepta est mulier in institutum d. XXVI. Jan. MDCCCXXVI.; conceptionis tempus et menstruorum deficientium designare non potuit: primos in utero motus se circiter quarto mense graviditatis sensisse narravit. Axis conjugatus pollicum III. et dimidii, pelvis summae inclinatio graduum XLV, extremum intervallum inter cristas iliacas IX poll. et quadrantis, inter trochanteres XI., inter symphysin ossium pubis et vertebram infimam sex pollicum et dimidii inventa sunt.

Posteaquam igitur praeparatio instituta et perfecta est, d. IV. m. Augusti anni MDCCCXXVI hora decima matutina spongiae impositae sunt: prope ad quartam vespertinam horam tormina circa os uteri versantia percepta sunt, hora VIII vespertina aucta ea, ac paulatim veri dolores eique breves facti sunt, et hora vespertina XI, liquor amnii effluxit, quamvis involucra juxta spongias contingi non potuissent; spongiae igitur cum satisfecissent remotae sunt, et inter raros, sed idoneos, dolores caput embryonis pedetentim per os uteri et vaginam profectum est. Itaque d. V. m. Aug. hora tertia matutina, fere XIV horas post impositas spongias, mulier in XXXVIII graviditatis hebdomade sanam ac bene excultam puellam peperit. Pondus hujus erat librarum VI et dimidiae, longitudo pollicum XVI et quadrantis, capitis diametri diagonal. IV poll. IX linear., longitudinalis poll. III et IX linear., transversalis II, perpendicular. III diametri inter humeros IV poll. et quadrantis, inter femora III poll. et dimidii erant. Cutis ejus sana, non rubra, paulisper lanuginosa, ungues molles, sed

completi, capilli breves nigricantes, fonticuli arcti, cartilagines aurium molles, pupilla aperta erat. Positio embryonis prima occipitalis, funiculus in medio collocatus circa collum foetus semel volutus, liquoris copia exigua, natura bona fuerat. Puerperii cursus plane naturae normam secutus est, et die XIV. Aug. anni MDCCCXVI. et mater et infans sanae abierunt.

Jam vero superest, ut lectorem, tironis in literis primos conatus benigno animo accipere et commentariolum indulgenter censere velit, quam maxime rogem atque orem.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, *Fridericus Guilelmus Robertus Schelle,* die XIX. mensis Julii anni MDCCCIII Dresdae parentibus optimis, nunc jam defunctis, natus atque Christianae religioni secundum *Lutheri* formulas addictus sum. Postquam literis humanioribus partim in Gymnasio, quod Gorlitii floret, partim institutionibus privatis instructus sum, mense Octobri A. MDCCCXXII. in numerum alumnorum instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum. Septem inde per semestria hasce celeberrimorum virorum scholas frequentavi:

De logica et psychologia Cel. *Wolf*; de Celsi medicina Cel. *Hecker;* de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, arte formulas medicas concinnandi, anthropologia Illustr. *Knape;* de arte cadavera rite dissecandi Illustr. *Rudolphi* et Illustr. *Knape;* de re herbaria, historia naturali, pharmacologia Illustr. *Link*; de anatomia universa et physiologia Illustr. *Rudolphi*; de physiologia tam generali quam speciali Clar. *Eck*; de physice, chemia, pharmacia Illustr. *Hermbstädt* et Cel. *Turte*; Cel. *F. Hufeland* de pathologia generali, semiotice, therapia universa; Illustr. *Horn* de pathologia speciali atque de animi morbis. De chirurgia generali, de arte obstetricia, de ossibus fractis et luxatis cognoscendis curandisque, de fasciis applicandis Cel. *Kluge,* ejusque etiam exercitationibus adfui clinicis. Illustr. *Rust* de chirurgia tam generali quam speciali et de morbis syphiliticis. Praeterea Illustr. Illustr. *de Gruefe, Rust,* Cel. *Kluge* et acroasibus interfui et exercitationibus chirurgicis. Cel. *Kasper* me artem formulas medicas concinnandi et medicamina praeparandi, medicinam forensem edocuit. De re obstetricia et exercitationibus in Phantomate institutis Illustr. *de Siebold.* De ophthalmiatrice Cel. *Jüngken* frequentavi praelectiones. Therapia speciali et semiotice Illustr. *C. W. Hufeland* me imbuit. De-

nique aegrotis curare operam dedi ducibus Illustr. Illustr. *de Graefe*, *Rust*, *de Siebold* et *Neumann*.

His studiis peractis in nosocomio caritatis hujus urbis per annum medici inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate superatis, spero fore, ut, dissertatione conscripta riteque defensa, summi in me medicinae et chirurgiae honores conferantur.

Quo facto Posnaniam ad munus medici turmalis suscipiendum me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Partus praematurus arte effectus, ubi adhiberi potest, auxilium est tutum, quo hysterotomiam plerumque, perforationem capitis atque synchondrotomiam semper evitare possimus.

II.

Venae sectio interdum in febribus biliosis aut gastricis maximi momenti esse potest.

III.

Quo natura vergit, eo ducenda est.

IV.

Morbus syphiliticus nunquam mere localis.